
8
25 C
25

CLIO DIVINA ANTONII SANCTOFELI CIIMONACHI.

ANTONIVS SANTOFELI-CIVS TIBERIO BVCHAE S.P.D.

A Nimantium omnium unum hominem ea ratione constitutum intelligere est, ut ad rerum cognitionem, & præclare aliquid agendum suapte ferri natura haud ulli dubium sit. Beluas rursus rationis expertes, utpote ad alienum usum genitas utroq oportebat caruisse. Quod uero uis mira sensuum negata nobis præstita illis est, ut imbrium, tempestatumq præsagitio, & remediorum in plerosq morbos intelligẽtia salutaris, ad uitam uno hoc naturæ consilio sustinendam concedi fuit omnino necesse. Hominem absoluta forma factum nullo nõ tempore a ueri inuestigatione, aut honestiori uacare actione decet. Verum nõ omnibus omnia utroq in laudis genere dona sũt, quæ tamen aliis alia, ut nullus excusationi sit relictus locus, qui in medium aliquid non posuerint. Quare mihi, qui nihil adiumẽti ma

iestati religionis, patriæ caritati, reiq publicæ Christianæ largiendo, consulendo, dicendo, aut publicis gerendis muneribus afferre ualeam, ne cum desidiæ graui noxa torperem, quicquid in liberalibus literis profecissem, facile proferendum uidebam. Primitiæ nostri ingenii ei, cui bona omnia accepta referimus Christo Deo optimo maximo iure, atq adeo Mariæ uirgini parenti sanctissimæ dicandæ, & ad te quo autore, & adiutore prodeunt in lucem, mittendæ erant. Geographica præterea in Pompeiano tuo a nobis scribi cepta, quæ in manibus habeo, si hæc benigne exceptum iri contigerit, me manumissurum recipio. Vale.

CLIO DIVINA ANTONII SANCTOFELICII HEXAMERON.

Vrei fæcli placidam quietem
Orbis in partu precioſa dona
Iure priſcorum monuméta uatum
Laude bearunt.
Subdolus liuor procul,& ſimultas,
Mars ſacer,fædus,comiteſq martis,
Nõ adhuc faſces,trabea,&tribunal,
Cenſus,& ordo.
Aſt opes ſunt in medium petendæ,
Pax,fides ſemp mera,frons apertus,
Ibat inceſſu ſenibus ſenili
Parca benigna.
Id rudi uitæ fuerat recentum
Gentium munus,generiq noſtro,
Si ſibi conſtans pietas fuiſſet,
Illa manerent.

O humi quæ tum facies pyropo
Floribus uernis, uiridi smaragdo
Frondibus picta, casia legenda
Omnibus agris.
Non alit tellus aconita tetra
Cerberi sæuis epulis nouercæ,
Hic, & illic proueniunt amomum,
Cinnama, myrrha.
Arborum supra teneros honores
Alitum carmen numeros loquaces,
Qualis in pulsu fidium lyristes,
Implicat arte.
Mollius cælo sibi blandiente
Garriunt, ergo ciat usq ab ortu
Oscinem coruum tacito susurro
Prouidus auspex.
Auiæ syluæ sua dona dantur
Belluis, brutum pecus incolebat
Lustra, pubescunt capreis nouellis
Pascua læta.

Cum iubis robur Libycum leonum,
Ocyus tigris rapuisse cursum
Gaudet, at barrus superesse mole,
Rhinocerosq.
Praeter insignes oculis, & albo,
Quaeq censentur medica salute,
Vt greges nulla sanie nitebant
Velleris ostro.
Quo nihil deinceps operi instituto
Desit, innabant aqueo liquore
Cete, delphini, clupeae, accipenser
Squammea turba.
Caetibus glauci pelagi uagari
Latius salsas licuit per oras,
Liberi immunes abeunt malorum,
Imperiiq.
Attamen fertur tubicen canora
Cogere hos Triton uitreis in undis
Concha, & attentos retinere cinctus
Tempora musco.

Hæc fuit terræ species, mariq;
Vita quum rebus datur, atq nomen,
Hac uenus forma decorabat orbem
Voce iubentis.
Imperat summus pater, artifexq
Omnium rerum Deus, ille mundi
Ambitu immensi posito locabat
Sydera primum.
In Ioue excelso rutilare flamma
Incipit, Phœbus radio diurno,
Luna nocturno uolitare curru
Iussa citato.
Quot globi claris facibus per umbrã
Noctis accendunt simulachra mira
Cærulo in templo uicibus rotantes
Tempus in æuum.
Mox iners pondus media locorum
Considet Pluton, solidaq sede,
Iura Neptuno sociata fratri
Fœdere certo.

Mutuis uinclis grauiora ſidunt
Infimo cyclo, leuiore motu
Iuno conſurgens potitur ſecundo
Ab Ioue regno.
Incola in terris homo, ciuis aſtris
Fingitur noſtrum genus his fructis
Quicquid effectũ uidet eſſe ab omni
Parte beatum.
Pan genas pulcher minio rubenti,
Hiſpidum crurũ, uariuſq, & idem,
Cuius eſt nebris maculoſa uillos,
Hæc habet unus.
Fiſtulam ſeptem imparibus cicutis
Ore percurrit, digitiſq doctis,
Pan refert cælos, humilemq terram,
Aera, pontum.

CATACLYSMVS.

Iam ſatis terras pluuiæ frequentes,
Denſior grando medium per æſtum,
Ora pallentes gemini cometæ, &
Fulmina terrent.

In tot oſtentis monitu futuri
Horror eſt, quando ſcelus ultionem,
Quæ malos ſenſim ſequitur fugaces,
Sæpe laceſſit.
Sunt quidem, per quæ ſubeat pauendũ
Sæculũ patris Noe, quum gigãtum
Perditus cælo furor auſus altas
Tollere moles.
Forte deturbare putat ſuperba,
Aequa uel Diuis fieri poteſtas,
Quos Deus ridens uario loquẽtes
Diſpulit ore,
Peſtis hinc cunctos hominum, luesq;
Dira peruaſit ſimili furore,
Vt Deum cogant abolere gentes
Funditus omnes.
Ecce, quum mulctæ grauis immineret
His dies, pennis madidis in amplum
Aeris campum pariter uolarunt
Libs, Notus, Eurus.

Intonant flammæ sonitu corusco,
Hactenus pendet furibūdus imber,
Integrum auersis erat, ut redirent
Ad pietatem,
Siquis hic illi locus est relictus.
Perfidis pallor, maciesq larue,
Nimbus it tandē, metuere Diui in
Turbine tanto.
Mille scindunrur facibus tenebræ,
Mille respōdent tonitrus strepētes,
Perfremunt uenti, furiunt procellæ,
Et maris iræ.
Bruta turmatim coeunt amicæ,
In metu pellunt odium, inter agnos
Innocens hostis lupus, inter ibat
Vacca leones.
Vocibus mæstis iuuenum, senumq
Clamor adsurgit, gemitus, querelæ,
Fæminæ planctu, ac ululatu inanem
Aera complent.

Impios frustra pueri relicti
Faucibus siccis reuocant parentes,
Non sinu solans fouet, aut prehēdit
Pignora mater.
Pars domos summas abit imbecilla
Qui fugæ credunt, ita consulentes.
Editos montes superant, asylum
Non tamen usquam.
Hac uia nil proficitur, serena
Fluctui obsisti bonitate posset,
Rectus, & simplex animus per altas
Enatat undas.
Imbre perstanti oceanus perauctus
Littorum uictor ruit insolenter,
Impotens uictis spoliat tyrannus
Nomina rebus.
Nomen est unum maris absq portu,
Immo non cuiuis statio carinis,
Immo non ullæ pelago carinæ
Nauita nullus.

Vna ſtat puppis reparanda terris
Semina adſeruans, animaſq uitæ:
Terminis nullis habet uniuerſa
Ennoſigæus.
In iugis celſis abies petita,
Fida quæ quondam ſtatio columbis,
Spem dedit uita pereunte uanam,
Spe quoq merſa.
Heu quod hoc rerum miſerū cadauer,
Heu quod hoc rerū miſerū ſepulchrū,
Regibus, ſeruis, felibus, catellis
Par fuit urna.
Vrna non hudum ſabulum, nec algā,
Maximas orcas, auidamq priſtin
Pabulo hoc Proteus pecus omne in imis
Vallibus explet.
Clade poſtrema querulæ uolucres
Decidunt laſſæ, ſolitiq mergi
Sæpius mergi ſubeunt in undas
Non redituri.

Diuitis gazæ repetenda nulli
Tethyos proles laqueata tecta
Occupat, sunt Nereides coloni
Aedibus amplis.
Ex eo montes tumuisse narrat
Fama congesta simul ex arena,
Quippe quũ conchas pariãt striatas
Marmora secta.
Sunt & in summis tumulis sepulchrã
Indices ueri reserata, cuspis
In quibus uisa est stupido colono
Monocerotum.
Signa portentis metuenda clemens
Christe sint Turcis, gelidoq Daco,
Instruunt densas acies ad Istrum
Iam uada tranant.

RVBRI MARIS TRANSITVS

Quis neget nostris numeris canenda,
Quæ graui mandant alii cothurno?
Cur chelis te non deceat monere
Maxima rerum?

Gesta uictoris ducis efferamus,
Qui manu inuicta Pharaonis arma
Perdit, & Mēphim ueterē, atq septē
Hostia Nili.
Victor hic dux est Deus ille summus,
Autor hic belli, placidæq pacis,
Vnus est princeps superis, & imis,
Omnia solus.
Rex per insanos operum labores
Vexat Hebræos Pharias ad oras
Sorte, qua posset status inuideri
Mancipiorum.
Iustus utcunq hæc dolus adleuauit,
Aureos torques, patrias inaures,
Vasa, & armillas dominis petita
Mutua sumunt.
Sacra mentiti locuplete præda
Ad rubros fluctus itiner uorarunt,
Milite accincto insequitur tyrānus,
Consequiturq.

Vndiq oppugnant mala, quod p̄mebat
Hostis hinc arcu, iaculis, & ense,
Vultus immitis pelagi cruenti
Ante minatur.
Prælio nullus locus, an ne inermes
Conserant dextras peditū cohortes?
Qui ualēt currus equitū, & uolātes
Ferre sagittas?
At pio Mosi, precibus salutem
Dum petit castis, celeres per auras
Nuncius uirga oppositas feriri
Præcipit undas.
Audiens dicto fuit, & repente,
Mira res dictu, stabiles secatur
In uias fluxus liquor, ut coisse in
Saxa putares.
Aeque consurgens, opus ac fabrile
Humor adtollit timidos colonos,
Vitreo e muro insolita expauescunt
Agmina pisces.

Dum fugam ſicca arriperent arena,
Hoſtis a tergo ferus eſt timori,
Strata qui calcans eadem uiarum
Vrget euntes.
Mox uices uerſæ uariant utriſq;
Qui fugit uincit, periitq; uictor,
Verſus eſt acer furor in pauorem
Fit timor audax.
Impios terret repetens priores
Aluei ſedes mare diſſolutum,
Obuium cunctos animã repreſſa
Sorbet ad unum.
Voluit, extinctis uelut exprobraret
Barbaros auſus, clypeos, pharetras,
Signa, equos, lectos equites, ducemq;
Memphiticorum.
Vltimum uitæ tumulos honorem
In ſuo regno negat Amphitrite
Vultures curant utero capaci
Funeris urnam.

Obstupet Moses, populusq pontum
Spes supra humanas iuisse pugnā,
Et Deo ultori cecinere lætum
Carmen ad aras.

DEI MERITA IN IVDAEOS.

Castra post mersas acies Canopi
Vindice in fluctu uacuis heremi
Sedibus Iudæ populus solutus
Tuta locarat.
Gratia, & festo hæc memorata cantu,
Et coma fulgor rutilus promissa
Visus in noctis tenebris præire,
Dux fugientum.
Fulgor est, qualem Triuiam intuetur
Nocte uenator solida nitentem,
Ora quum fratri opposuit comosæ
Frontis honore.
Liberum curæ pietas parentum
Quæ pari exemplo, nebulis opacis
Conditi soles feriētis astri
Luce retusa.

Feruor æſtiuus recreatur umbra,
Noctium nigror remouetur igni,
Munus alterno comitatu utrunq
Adſociabat.
Roſei ceſſit maris æſtus illi,
Saxa qui mox in latices aduſta
In ſiti laxat, tenui dehiſcunt
Verbere cautes.
Quas aquæ uenas plaga ſolis ardens
Denegat ſiccæ ſegeti, irrigarunt
Arua ſqualentis, bibulæq arenæ
Flumine multo.
Vſui limphas alio profectis
Triſtis abſynthi poſuiſſe ſenſum
Aſperum iuſſas ſoboli iſraelis
Mitia præſtat.
In fame lautis epulis Petræi
Albicant campi ambroſiæ pruina,
Syrius qualem parit æſtuoſo
Sydere rorem.

O preces Diuum ualidas, domare
Quæ ualét densos cuneos, & arma,
Fulminum motu strepitus tubarũ
Mœnia sternunt.
Quid? fugam hostilẽ ducis insequẽtis
Apsidum mundi remoratus axem
Impetum sistit, biiugesq Phœbi
Sermo uolucres.
O pater custos hominum salutis
Sic tuo saluo grege te potentem,
Et mari, & terris timet occidentis
Cultor, & ortus.

DEI OPT. MAX. ET MARIAE uirginis epithalamium.

Clare stelliferi ætheris
Ciuis angelicum genus,
Qui comes paranymphus is
Virgini cupidæ Dei,
Clare Gabriel adsis,

Candidum cape flammeum,
Et nitens adamantibus
Regium diadema, si
Virgines color hic decet
Purior, uelut ipse es.
Nequa præpediat mora,
Nubis aligeræ sinu,
Visa per liquidum iouem
Qualis accipitri ardea,
Magne Gabriel adsis.
Nam Mariam hodie Deus
Sponsus ad thalamum uocat,
Virginem cupide petit,
Nuptias cupit has sibi
Ante sæcula cuncta.
Tanta gratia mutua
Alterum ligat alteri,
Vt nec æque amor ardeat
Inuicem, aut odium pari
Igne terreo in orbe.



Dicta connubio sacro
Hæc dies, parat illa, qua
Dote carior ad Deum
Tendat accumulans genus
Omne diuitiarum.
Dos erit stabilis pudor
Fusus ex animo in genas,
Estq perpetuo uirens
Iuncta iustitiæ fides,
Quo stat integra uirtus.
Ille uirgineam fidem
Munere insolito beat,
Sponsa mancipio feret
Dona, quæ superent genus
Omne diuitiarum.
Præter imperium soli,
Præter impetum maris,
Præter imperium aeris
Addet & superas opes
Regna fulgida cæli.

Ducet ad thalamum ſuam,
Ducet ad ſolium ſuum,
Phæbus eſt ſolium Dei,
Luna ſub pedibus nitet,
Fronte ſydera ſplendent.
Quanta gaudia uirgini hæc
Auxerint? facies tamen
Pulchra lætitia expleat,
Nuncia citus omnia,
Magne Gabriel adſis.
Aede, quam Solymis labor
Artis egregiæ dedit,
Quære peruigilat prece
Sponſa, labere Gabriel,
Magne Gabriel adſis,
Principes generis tui,
Res ut exigit, admone,
Omnia agmina cælitum
Militum, ut paret inſtruat
Se ſuo ordine quiſq;

Aduoca, socias faces
Qui ferant, comites, ferant
Sceptra regia, sed tua
Nuncii imposita in caput
Hæc corona manu sit.
Ore, corpore, genibus
Pronus eloquar hæc tibi
O Maria hominum decus,
Quot sient, fuerint, erunt
Ad nouissima sæcla.
Nuptias propera ad tuas,
Sponsus est auidus tui,
Res sient animis pares,
Stratus est thalamus, suis
Culta uestibus aula.
Vnde respicicias potens
Supplices populos tibi,
Terra quos humiles tenet,
Illa uel plaga, quo appulit
Nauta Celtiber audax.

Quod mera integritas placet,
Vt mera eſt glacies,uias
Non negans oculis,eris.
Virgo concipies manens
Virgo poſt pueri ortum.
En adeſt paranymphus,ut
Te uocet,uideo uigil
In toga niuea tibi
Ferre cælicolum faces
Mille,qui comitentur,
Ignis in tenebris nouus,
Qui proculdubio poli
Lampades ſolitas præit,
Aetheris ſpecies noua,
Euge iam properant nunc;
Audio uigilans modos,
Vix ut auribus inſonent,
Angeli,ut uideo,canunt,
Quid tuum ad ſuperum melos?
Claude carmina muſa.

IESV CHRISTI GENETHLIACVM

Iam bonus redit annuus,
Festus, atq hilaris dies,
Qui procul iubet improbi
Esse nubila pectoris,
Nata gaudia terris.
Nox fuit, tamen hanc ego
Luce de nimia diem,
Sole qui uehitur, uoco
Iure, scilicet hæc erant
Nata gaudia terris.
Aemulo aspicias ibi
Ore Vergilias citas
Præuias Hyadas sequi,
Has lacessere Syrium ob
Nata gaudia terris.
Hoc idem faciunt humi,
Bruma quæ parit insolens
Cyanus, uiolæ, crocum,
Et rubens hyacinthus ob
Nata gaudia terris.

Nata gaudia Christus est,
Natus hic hodie Deus,
Atq homo, una, eademq res,
Quod prius minus est idem
Maxime impare forma.
Cuncta qui e nihilo parens,
Autor, ac opifex facit,
Cogit in tenui graue
Pondus aere, perficit
Hoc supra ingenii uim.
Sacra mystica in abdito
Virgo conscia consilii,
Quæ subit penetralia
Explicet cumulatius
Fæta filium adorans.
Nate quem similem foris,
Intus absimilem mei
Edidi, ante chaos meum, &
Cæterorum hominum patrem
Scimus, & ueneramur.

Gratias agimus tibi,
Cui tua ſupera,infera
Sede uix habito libet
Eſſe corporeo breui
Corpore hoc,uteroq;
Mentis ut cogitatio
Libere inuolat,euolat,
Motus hic rationibus
Senſuum tacitus fuit,
Nate ſpes mea ſalue.
Hæc Maria,ſed addere
Dia enigmata,proxime
Quæ canunt Dicearchiam
Delii tripodes,par eſt,
Ecce pythia fatur.
Per nouiſſima tempora
Terra ſentibus horrida,
Quæq noxia germinat
Sponte ſemina ſentiens:
Nulla munera cæli.

Magna munera ſentiet,
Nanq, quod ſegetes fouet,
Iuppiter Cybeles cadens
Vdus in gremium dabit
Mira gaudia terris.
Non erunt tamen hæc, niſi
Quum Dei manus hortulum
Rore delicias ſuas
Angulo in Syriæ ultimo
Irrigauerit ante,
Vnde plantula pulchrior
Floribus, foliis ſuper
Carpobalſama nobilis
Surget inferius uidens
Libani ad iuga cedros.
Scandet altius in dies,
Vertice ætheris ardua,
O Dei omnipotentiam,
Vincet, oppida contegent
Brachia, oceanumq.

Illius reuerentia
Peno,& Aethiopi,& Scythæ,
Si fidens ueniet,ſalus
Fiet,haud dubitet ſacræ
Tutus arboris umbra
Vatis hactenus accipis
Dicta,lucifer extulit
Se, chorum monet,excitat,
Aera penſilia arcibus
Indicant sacra cantu.
Hæc inepta puer feret
Noſtra maximus,optimus,
Cui lites potius pio
Farre,quam uitula potens.
Carmen accipe Clio.

EPIPHANIA

Virgo committi fidibus monente
Te faces poſſunt oriente Chriſto
In ioue ardentes,citharam canoris
Laudibus apta.

Maxima hic pars tu fueras, Deū quæ
Concipis, gestas, paris haud iugali
Lege sola expers uteri laborum,
Sola hymenęi.
Nemini, quis non stupeat, uidendum
Visilem reddis, noua cui micarunt
In Dei forma, specieq nostra
Sydera testes.
Summe Rex regū puer, omne cui est,
Quicquid est usquā, casula latebas
Non tua pauper, tamen astra prima,
Et noua adorant.
Rem, licet toti loquerentur orbi,
Audiunt pauci, quibus est aperta
Lingua cælorum sophiæ periti,
Et sapientes.
Esse quærendum didicere Christum,
Quippe apud doctos nihil est inane,
Qui creat stellas, taciti sequuntur
Aeris ignes.

Siue per fuſcos Arabas ferantur,
Siue per campos uolitante arena
Inuios, aſtro duce non aberrant,
Peruia cuncta.
Atra ferrugo Solimis propinquum
Ob nefas nunquã ſatis improbãdũ
Texit, infandum ſcelus execratur,
Et ſacra tela.
Tela, quæ mox ancipiti bipenni
Millies centum plateas per omnes
Lacteos artus puerum cruenta
Dilacerabunt.
Hinc Idumææ nitidus cometes
Indicat fulgens iterum beata
Tecta Betholes, docuitq partus
Nobile templum.
Sorte foſſorem cupidum ſecunda
Quæ mouẽt fulua crepitãte lamna,
Rara cõpleruntanimos Magorum
Gaudia lætos.

Dia Maiestas adeundo casta
Pectora adfecit, patrii tiaras
Moris exoluunt, Nabathæi odores
Munera, & aurum.
Ad pedes Christi petiere terram
Fronte submisso, puer ille uultum,
Quo fugat nubes, hyememq nigrã
Vertit in omnes.
Supplices, quantum licuit tenello
Regio matris gremio sedenti,
Mysticis donis, oculis, manuq
Excipiuntur.
Inter hæc carmen chorus angelorum,
Quale nõ scænæ modulãtur unquã
Tibiis dextris, simul & sinistris,
Concinuerunt.

AD VIRGINEM DEI MATREM

Alma supremi genitrix tonantis,
Inferis cuius, superisq numen,
Nec minus nobis colitur, timetur
Triplice sceptro.

Vltimas Gades super,& Britannos
Vsq ab Eois,ubi porta lucis,
Thure,uel myrrhæ faciens acerra
Te uocat orbis.
Tot deum nugis,sobolisq tantæ
Senserant se,quod doluere,falli,
Ad focum hibernū ut pueros anilis
Fabula ludit.
Triste commentum nebulas latebat
Inter errorum,facis ut patescant
Per tuum solē tenebræ,paris quum
Innuba Christum.
Hic Deus noster,duce quo maligni
Dæmones late populis tyranni
Exulant uicti,tua cura fiunt
Regna recepta.
Martias ædes tibi septicollis
Vrbis antiqua dominatione
Pulsa discedens larium,penatum
Turba relinquunt.

Stator auersi reuocator hostis
Se fuga iam præripuit, simulq
Nata fatali clypeo, timenda, &
Gorgonis angue.
Aesculos fauni, driadesq lucis
Quam dolent cæsas, siluere sortes
Inde Dodonæ, obticuitq Delphis
Augur Apollo.
Ne doli repant tacito periclo,
Ne grauis casus premat oscitantes,
Non opus uates moneant, adorent
Te modo uota.
Vota delubris uario decore
Molium structis tibi nuncupata
Terra persoluit, populum deorum
Tartara claudunt
Hæc tui sunt imperii, hicq figis
Subditis leges, uolucrem, leuemq
Vna tu gentem stygiam coherces
Infima regna.

AD DIVVM PETRVM.

Quæ tenes ſeptem celebranda cunctis
Sæculis colles, bona uerba ad aras
Vrbs cane, alternis Phrygiam ciebit
Tibia muſam.
Victimæ quando fluido cruore
Amplius nullæ inficiunt ſecurim,
Sacra cuſtodi hæc face Vaticani,
Et Capitoli.
Hæc Petro, non cui feritas gemello
Eſt lupæ nutrix Tyberino in auctu,
Vnde deductum placuit uetuſtum,
Sumere nomen.
Si per hunc ferro uia facta primum
Lata, quo rerum potireris una,
Te tamen uerſis uicibus premebant
Barbara regna.
Fudit adſertor furias erynnis
Petrus, euicta eſt quoq tetra enyo
Ciuium clades, fremitumq martis
Clauſtra cohercent.

Bellicæ laudes ſpoliis ſuperbæ
Corruunt, firmis opibus quiete
Auſpice hoc regnum ſtabili decebat
Reſtituendum.
Vrbis auguſtæ reparans ruinam,
Et Dei Chriſti inuigilans ouili
Callidas cura inſidias luporum
Paſtor abeſſe.

AD DIVVM PAVLVM

Gentium doctor, gremio quot amplo,
Ore non uno, abſimiliq cultu
Educat terra officio parentis
Paule diſerte.
Si tuis in nos meritis referri
Gratia haud poſſit, tamē has agemus,
Quo licet ſtilo, uoluiſſe magni,
Sat ſcio, fiet.
Quid prius dicam? tabulis auitis
Parias leges gladium tuentem,
Qui tibi excuſſus minitāte Chriſto
Te quoq ſtato?

Vnde perstrictis oculis micanti
Nube cernebas nihil, at uidebas
Altior sphæras, hominumq curas
Despicis infra.
Siue ut insurgens reuocare falsæ
Plebis errores prius ad Damascum
Mira uerborum uehemente lingua
Fulmina uibres?
Lumini auertunt aciem molesto
Impii uisus, placet umbra lippis,
Et strigum ritu coluisse syluas
Noctis opacæ.
Nos sumus, quos erudias, togatæ
Se tibi addicunt, cupiuntq scholæ,
Et tua edischent documenta Athenæ
Palladis artes.
Oppidis magnis Asiæ magister
Paule tu maior uenis haud uocari
Filius Maiæ patiens iniquo
Cultus honore.

Tu quoq in terris, pelago, forisq;
Et domi inuictis animis laborum,
Quos nec expugnent rabidi tyrãni
Plurima uincis

AD DIVVM HIERO NYMVM

Tempera uoces numeris acutas,
Et leues nugas, modulosq blandos
Mitte testudo, grauiora Diuis
Plectra probantur.
Non in unguentis, pugilumue cæstu
Amplius, non in roseis corollis,
Sat tibi lusum ueneri, iocisq
Lesbia musa.
Elegans uerbo, egregiusq factis
Dicitur nũc Hieronymus sacerdos,
Quem sua iussit uolitare uirtus
Præpete penna.
Vnus haud uni populo uocatus
Municeps, custos, patriæ tutela,
Dalmatæ quando sibi uendicarũt,
Pannoniæq.

Partę diuersa latium forensi
Lege reclamant, repetunt alumnũ,
Quem toga sumpta instituit uirili
Itala terra.
Sed Palæstinæ studio infrequentis,
Vt sibi uiuat, pelago remenso
Arua palmetis penetrare gaudet
Cognita celis.
Ille secessus dedit ocium, quo
Posset archanum reserare mundi,
Et chaos partum, replicare uela
Abdita Mosis.
Pandit Astreæ imperium regentis
Orbe florenti teneris in annis
Regna, quæ nunquam satis extulere
Scripta diserta.
Vindicem rursus pluuiæ ruina
Imbrium terras operire molem,
Et mari rerũ domino obstupesces
Monstra natantum.

Siue is interpres, ſua uel reponat,
Totus in uerbis lepor, ut ꝓpinquis
Excitus fatis olor in uirenti
Margine Lyris,
Mercuri facunde nepos Athlantis,
Si tibi linguæ tulit ille palmam,
Perfer, & merces catus ipſe cura,
Furta, paleſtram.

AD DIVVM BENEDICTVM

Quæ per annales, ueterumq faſtos
Famæ adoptatos genuit Quirites
Rebus in magnis dominata mater
Oenotriorum,
Pace felici, meliore ſæclo,
Hic, ubi uictrix pietas triumphat,
Clarior multo potiore prole
Nobilitatur.
Edidit ſancto grauis illa uerbo
Cum Linis Cletos, animæq magnæ
Mille conſurgunt, uelut aſtra pura
Emicuerunt,

Inter has flammas Benedictus ignem
Colligit uitæ tenebris fugandis,
Lucifer quali iubare, ut reuisit
Seras, & Indos.
E micat Paulus prius ad Sienen
Hortulis ditem, tuguriq; tectis
Patribus priscis, radiant ab ipso
Hilariones.
Hic Latinorum genere e Sabino
Monstrat illustrē populis Seuerū,
Te quoq; accendit Placido gemello
Maure gemelle.
Vos mihi testes liquidas per undas
Alteri moles humile ad profundū,
Alteri duras humili e profundo
Marmoris instar.
Sed quid in portu fugiens periclum
Ora conuersi reputatis ambo?
Innatans ferri fluitasse pondus
Non meministis?

Quid lacũ hoc mirum propiore uita?
Quã lacus distat stygis, unde manes
Aede defletos iuuenis ruentis
Exciet olim?
Illius iustam toties petitam
Perfidis multis taceam salutem?
Virus occultum patet indicante
Alite uerso.
Nobilem Pindo super, & Lycæo
Laude qui tanta cumulas Casinũ,
Sensibus fulge, uia ne bonorum
Nocte tegatur.

AD DIVVM FRANCISCVM

O potens gentis numerosioris,
Quæ supra Mauros, scythiã, niuẽq
Panditur diues tamen abdicato
Hinc procul auro.
Vmbriæ proles, decus Italorum
Si datum tanto populo præesse
Orbe diffuso, propius labores
Aspice nostros.

Latius regnum probitas tuorum,
Quos paras Christo pietatis armis,
Quã si adq; Europen Libyã tepentẽ
Prælia iungant.
Arma, qui certas acie incruenta,
Pectora expugnant, animiq uallum,
Recta mẽs, rectusq animus, monẽtis
Fortia facta.
Bella tu tecum geris, inde uictor
Castra mouisti sceleri obsidendo
Milites primi patrii leguntur
Asisinates.
Hæc cohors est prætoria, hanc tyrones
Postea imbelles imitando, discunt
Ad malum qui dificiant rebelles
Subdere motus.
Quod recens orbis coluit seuere,
Siquod est frugi specimen uirorũ,
Hic uide, exemplar bone dux fuisti
His bene agendi.

Quantus a nobis abeas olympum,
Maximus teſtis pater ille rerum,
Qui necis nati monumenta ſacro
Corpore ſignat.

AD DIVVM ANTONIVM.

Heſperus quæ poſt radios receptos
Spectat alterno uagus in meatu,
Et Tagus quicquid precioſus undā
Diues inaurat.
Dent modos feſtos alacres, diemq
Hunc odoratis uenerentur aris,
Aeri mittant uacuo uiciſſim
Cymbala uoces.
Ciuis Antoni ſacra Luſitani
Annuo ritu rediere Iberis
Per manus ſemper tradita, & tradēda
Poſteritati.
Hic, ubi Antenor ſociis relicto
Ilio muros profugus locauit,
Gaudii expertes neq ſint camænæ
Relligioſæ.

Venetæ ſedes placuere muſis,
Venetæ muſæ placuere Diuis,
Hic piam Antoni cineris fauillam
Marmora ſeruant.
Huc frequens liber pelagi furorum
Nauta contendit, manibus ſupinis
Gratias ſupplex agit, illa ſeruat
Picta tabella.
Arbiter ponti, moderator undæ
Remigi exangui fauet, is minacem
Diſcutit noctem, ſimul ac micanti
Sydere fulſit.
Carbaſa, antennas tulerit rapina
Africi, tonſæ rapiantur æſtu,
Si capit clauum, tumidas per iras
Fit uia puppi.
Diue, qui cognominis aduocanti
Es mihi, dextram fragili carinæ
Da meæ, ut portũ ſubeat, ne amaras
Naufragus undas

Ebibam. Terrent Scopuli, Charybdis;
Vortices, Syrtes. Mihi si impetrasti
Huius ingressum maris, in regressu
Sis Tiphys oro.

AD DIVVM VITVM

Vite, cui uita est hominum, salusq;
Credita & magno, & facili patrono,
Quod lubens sacrũ dico, qualecũq;
Carmen habeto.
Singulis custos potitur locorum,
Quisquis in Diuũ numerũ relatus,
Te tribus cæli genitor regendis
Præficit oris.
Te colunt ciuem Siculi, marisq;
Accolæ templo superi, togata
Vrbs ubi e Cimbris statuit trophæa,
Et tibi tollit.
Hic secans ferri rigor, ardor urens
Victa concedunt superata forti
Pectore, adcurrunt tibi mansueta
Colla leonum.

Ergo cui tantum licuit, licere
Tanta nunc mirer? gelidum ferarũ
Virus, & morsus abigis canini
Corpore tabem.
Spectra quum morbo miseros fatigãt,
Gramina haud ꝑsũt, magicũue murmur,
Et male occurrent alio ueneno
Pharmaca Psylli.
Spes ut audacis medici refrixit,
Perfremens æger, lacer ora, pectus
Ad tuas mœsto trahitur parente
Protinus aras.
Vnus es, qui restituis cadentes
Vite, cui uita est hominum, salusq
Credita, est testis plaga Dauniorũ, &
Vota soluta,

VIRGINVM CARMEN.

Virginum nomen pueri, & puellæ,
Munus id uestrũ, propriæq partes,
Dicite, insignes canite & coronas
Fortibus ausis,

Quas in Alphei stadio Pelasgi
Gymnicis nunquam capiunt ualentes
Præmium ludis apio uirenti
Tempora compti.
Quicquid athletis, ducibusue pulchra
Laude defertur, nihil ad beatas
Laureas, quis perpetuum caducis
Conferat amens?
Illius primum faciles ad aras
Numen excelsum memorare oportet,
Vna quæ erexit titulos in altum
Virginitati.
Est decori fons nitidus Maria,
Vnde defluxit specimen pudoris,
Cursus æque ac oceano parente
Est fluuiorum.
Hanc in incessu famulæ per amplum
Porticus cæli spatium sequuntur,
Siue Reginam præeunt colentes
Ordine longo.

Patria, natalibus, actionis
Laude coniunctas geminas puellas
Cerne Agneten, Cæciliamq alumnas
Romulidarum,
Quæ Dei sponsi studiosæ amoris
Iura non seruant modo continentum,
Sed male perdunt Cypriæ, atq nati
Turpia iura.
Cui Deus sponsus studioso amori
Par pari reddens genus omne dona
Præstat æternum, uoluitq utriq
Surgere templa.
Doricæ gentis, Siculæq terræ
Est Siracusis, Catinæ arx ruenti
Lucie uirtus, Agathæq nunquam
Cardine rerum.
Hæc tyranorum domus, his patronis
Post eo creuit pietatis, ut iam
Coclites nemo obiiciat cyclopas,
Phallaridesq.

Forma quo mundi iuuet, ac imago,
Luminum custos prior, e caminis
Sistit Aethnæis rapide fluentes
Altera flammas.
His ab exemplis alias tenella
Pube felicis bona cælibatus
Commonent linqui ueneris iugalis
Lutea uela.
In uoluptatem sociale bellum
Fæminæ indicunt uigiles ad ignem
Non foci uestæ potiore Christi
Igne calentes.
Excipit cætum hospitio benigno
Hic, ubi sol exoritur salutis,
Prima Bethole inistituente Paula,
Eustochioq.
En Canopo Niliacis in oris
Stemmate illustri Catherina maius
Sydus adfulgens tenebras fugauit
Monstra deorum.

Autor hæc est ciuibus in lebetes
Aedium ut conflent pecudes sacrarum,
Et crucem tollant, ubi fabulosus
Rinxit Anubis.
Non honos alto Syneo negandus
Carmine in nostro, tabulis supernæ
Qui dedit legis, tumuloq Diuæ
Saxa superbus.
Quæ tuæ seruas fidei Arelaten
Creditam tuto, Rhodaniq gentes
Hospes o Christi, & populos togatos
Vise iacentes.
Plurimas palmis ualidum uirorum.
Semet oblitas genus imbecille
Prima florentis genuere sæcla
Relligionis.
Vrsulæ infractos animos probare
An licet cuiquam satis, & petentes
Per necem uitam socias perennem
Agmina centum.

Vt ferunt barros,simul ac tuentur
Vulnerum sanguen ruere in cruentas
Martias pugnas,ita Christianus
Sexus uterq.
Virginum Princeps comitata multo
Millibus centum numero ampliore
Tot uerendum est auxiliis piari
Crimina posse?
Scimus exaucto sceleri imminere
Præter exactas miseram ruinam,
Tu potens nostris,Italoq ab orbe
Pelle maligna.
Turca quam classem parat iufulatam,
Signa nobiscum societ,uel hostis
Mersa neptuno saturet uoraces
Sæua Siluros.

DE RVSTICA VITA

Vrbibus celsis sua purpuratis
Fænoris partu cumulante nummos
Tecta conscendant,ego quid morabor
Vrbibus hostis?

Persicam gazam nihil,& nitentes
Indiæ terræ faciam lapillos
Adfatim rerum locuples reposta
Valle quiescens.
Ambiam fasces? manibus præhensos
Rusticus nunquid rogitem tribules?
Aut mali nomen negligam parando
Sordidus ære.
Nullius fastus scelerum potentis
Nauseam ruris faciet colono,
Criminum munus neq rure uisa
Sella curulis.
Simplici cultu,tenuiq mensa,
Libero somno,innocuaq uita
Diues est pagus,solida est uoluptas
Agricolarum.
Dulcius longe tenues auenas
Tibiis doctis cecinisse dices,
Quum salis festæ numeros choreæ
Pubis agrestis.

Hiſtrio urbanus genio iocoſo
Dum ſedes grata tiliæ ſub umbra,
Si uel aurigæ uolucrum rotarum
Sollicitarint,
Faginis hirtos ſatyros per æſtum
Sæpe perſonis uideas referre
Ludicram ſcænam triuio,& petulco
Ludere curſu.
Et mare, & montes mihi pollicenti,
Et mare,& montes habeant,merentur
Inclyti, dicam,mihi ſat beata
Ruſtica muſa

AD SOMNVM

Somne,ſi pacas animum ſubactis
Hoſtium ſæuis,uigilumq curis,
Iure te doctum Latium quietis
Nomine dixit.
Lancibus uitam,trutinaq recta
Siquis expendat,pugiles arena
Semper aduerſis paribus dolebit
Digladiari.

Nemo non pugnas abeunte somno
Confert, quamuis studeat latere,
Oderit rixas licet, & prophani
Iurgia uulgi.
Pacis interpres uenis ipse, pugnam
Linquimus cuncti redeunte somno,
Poculum Lethes recreat sopitos
Obliuiosum.
Penniger cunctas celeri uolatu
Vnus insomni comitatus umbra
Circuis terras, aliena curas
Muneris expers.
Sed iuuat spectris aliis dolose
Agredi nos, atq; aliis cubantes,
Hæ tibi sunt deliciæ facete
Præstigiator.
Effodis fuluum cupidis metallum
Clanculum, merces aliis uehuntur
In metu, & spe per zephiros secundos,
Et freta nigra.

Classico miles fruitur, sagaci
Nocte uenator cane, dite thinnis
Rete piscator, segetum colonis
Spes sua læta.
Quæ ligat pennas humeris magia?
Icaros quisnam simulat poeta?
Peruolat nubes trepidante cursu
Corpus inane.
Sensibus rerum species receptæ
Visa commiscent, uariantq scænas,
Solueris risu, tua dum chimera
Mente uagatur.
Vt lubet ride, modo des quiesse,
Ante, quam longo uenias sopore,
Ludito, sic dum sumus hoc theatro
Fabula agetur.

IN VVLGVS DE FORTVNA

Vulgus indoctum, fatuum, malignum
Rebus in cunctis ait impotentem
Esse fortunam, pelagi, soliq
Diuite regno.

Antium quondam tenuit dearum
Maxima,& princeps,latiiq templa,
Mille nunc aras habet orbe prauo
Pectora praua,
Ad Pharon puppis celer,& Canopum
Illius nomen uenerata,paucis
Merce felici superanda tentat
Acroceraunia.
Ante,quam tollant aquilam,atq signa
Conferant signis legio,tribuni,
Dubiis pennis uolitante fine
Ipsa uocatur.
Quid?quod assumpsit pecoris minoris,
Atq maioris sibi,iusq agrorum,
Qui ferant auctas segetes colono
Fœnore multo.
Siue fundorum mala pestis atræ
Nubis æstiuæ calamos repente
Grando decussit,rea postulatur
Grandinis autor.

H

Deniq accepti ratio, datiq
Charta fortunæ, hoc putat improborum
Secta, quæ uitæ labyrintho aberrat,
Et sine filo,
Obsecro quisnam fiet huic clientes
Vultus, incessus, facies patronæ,
Quid uelit nobis fieri, & litantum
Dicite sacra.
Scilicet laudem egregiam reportas,
Huic opus quisquis Phidiæ dicabas,
Quod fidem præstet minus, idq laudi
Inclyta ducat,
Nos Deum, sortem fateantur isti,
Qui ferit turres, tumidosq montes,
Qui potens plebes humiles olympo
Euehit alto.
Aestuans spes nemo auide sequatur,
Cæcubis donat nihil, aut Falernis
Iugeris, cælo beat ante iussos
Voluere casus.

Vulgus indoctum, fatuum, malignum
Cum tua diua ualeas, rotisq;
Ambitu æterno quibus alligeris,
Atq roteris.

CAMPANIAE LAVDES

Ausonum tellus generosa salue,
Vrbium mater, numero nepotum
In dies felix, genitrixq frugum
Vbere læto.
Te canam flauæ cereris uenustam
Spiceo serto, segetumq ditem,
Prata qua Sarnum rigat usq Lyris
Flumine leni.
Te canam bacchi rosei Falernæ
Pampino uitis caput impeditam,
Purpuræ fuco, croceoue succo
Palmite pictis.
Liber hic certat cereri, lyæo
Ipsa non cedit, Sidicina rura
Excitant lites, simul & Calœnum
Quæritur armis.

Hæ ioci pugnæ, ingeniiq uatum,
Non tamen uatum iocus euocasse
Italos bacchos, ceteresq nostras
Prælia sæua.
Finium terræ soboles egena
Vascones, Cimbri, Bathaui, Sicambri
Nostra certatim rapiunt cruenta
Bella ferentes.
Sæpe fortunas uehemens procella
Deiicit celsis inimica rebus,
Quas uices lugent Tyriæ parentis
Punica regna.
Eripi parui fieret, quod auro
Constat, & raro elaborata cultu
Predia, & uillas licitante in hasta
Centurione.
Spiritum doctæ Latiæ camænæ,
Spiritum sacris studiis perire,
Spiritum laudi superesse nullum
Non doleamus?

Spiritus prauos pepulisse musas,
Spiritus diros uitiasse mores,
Spiritus tetros rapere,& necare
Quis ferat excors,
Heu gregi duri Nomades studere
Prestitit multo procul a tumultu
Tecta mutantes uarias per oras
Solis ad orbes.
Sed quid hi questus?oleas aprici
Pacis augustæ memores Venafri
Non omittemus,liquidiq olivi
Balsama pura.
Fertiles baccis tumuli supini,
Fertiles campi tenues lapillum,
Quæq Vulturnus medius pererrat
Ambitiosus.
Quæ uirescunt perpetua comarum
Gloria per littoreos recessus,
Perq Thyrreni sinuosa plantæ
Nobiliores.

Roſcido ſucco, pluuiaq molli
Lactex ramos grauidos honeſtant
Iugiter fœtum pariente uere
Citrea fulua,
Cur ſibi tantum placeant in unis
Phæaces hortis, tribuantq tantum,
Qui tibi uulgo nemore eleganti
Patria florent.
O tuas celſa e ſpecula Tiphatis
Myrteos inter reſidens odores,
Inter & libros fruar in patenti
Aequore dotes.
Pre bonis tantis Pariæ columnæ
Atrii dona, Attalicæq ueſtes
Sordeant, & quæ tenebris ſub altis
Poſſidet orcus.

DE BAIANO INCENDIO

Si tot hoſtiles miſeri ruinas,
Cædibus multis ſpoliata regna,
Vtq famoſum luimus reorum,
Verbera, uincla,

Venter immundæ canis insepulchrum
Siluę in sæua patet, & luporum,
Et fames pallens, maciesq ficta
Tabe peredit,
Aure quid surda monitus seueros
Tot malis pressi, neq finis ullus,
Spernimus cæli grauiore damno
Consecuturo?
Nil habet pensi mala mens, noui quam
In uiam dextram retrahunt timores,
Nuper ad Baias Deus ecce ditis
Tartara pandit.
Vidimus fumo cineres Auerni
E specu rauco sonitu per agros
Ire Campanos uolitante nube
Solis ad ortum.
Nos fauillarum pluuiæ, uel ora
Luridi solis tenebroso amictu
Mane terrent attonitos, sedebat
Horror ubiq;

Omnium rerum color unus,idem
Triftis obſcuro ſuperincidentis
Pulueris nimbo,ſtygiis arenis
Omnia ſqualent.
Hæc procul,ſed quæ propius ſub ipſos
Viſa conſpectus erebi frementis
Aere munitos triplicis loricæ,&
Robore ſternant.
Horreſco oſtentum referens,mouebant
Flamma caligans,odor,ater imber,
Et uomens uaſtus lacerata hiatus
Viſcera terræ.
Fumidos ignes piceo uapore,
Nube candenti piceum nigrorum
Sulphure accenſo nutrimenta utrisq;
Suppeditante,
Aeri grandes lapides furenti
Pertrahi flatu uiolenter actos,
Mox retortos præcipiti procella
Condere montem,

Fulminum centum tonitru boare
Murmur,& fluctus simul æstuosos,
Ferre uix aures,oculiue possunt,
Ingeniumue.
Tunc suum Gaurum metuisse casum
Monte strato crediderim,atq rursus
Liberum se tunc cogitasse mota
Rupe Typhoea.
Quæ latebant nereides recessu
Intimo,e Libra properante Phœbo
Solibus nullis timuere ponti
Regna calere.
Extima ut uentum,pelagiq summa,
Proxima e flamma reuocant uagantes
Cærulas nymphas,rapiunt morantem in
Cendia piscem.
Ex eo caris scopulis canorum
Nulla syrenum cecininisse fertur
Amplius carmen,liquidæq uoces
Obticuerunt.

AD CHRISTVM SERVATOREM

SAlue hominū superūq parens, fabricator, & autor,
Cui cælo, & terris imperiosa manus.
Salue hominum, superumq decus, quo uindice parta
Libertas nobis, gaudia cęlicolis,
Salue qui ærumnas terræ miseratus acerbas
Non fastidisti corporis induuias,
Humanum, sed supra hominem te patria uidit,
Vidit, & inuidit perfida terra tibi.
Tu non deliberas, num præstet mittere ciuem
Aethereum, qui nos seruitia assereret.
Ipse uenis, pugnam nunquam certaminis anceps
Detrectas, hostis te duce uictus abit.
Omne genus placuit nobis subiisse labores
Duros, & nomen dissoluisse reis.
Collapsam poteras aliter reparare ruinam,
Et sarctum tectum reddere mille modis.
Qui solo nutu squalentia sydera ponit,
Qui facit e nihilo cuncta, quid ille potest?
Affectum patrium quo declarare salutis
Humanæ posses, induis hoc hominem.

Non satis iduisum tendisti hoc brachia ligno,
Brachia quæ mundi sydera uersa rotant.
Ista manus nocti stellas sua lumina pinxit,
Ista etiam sacro picta cruore suo est.
Ista dedit pelago cetos, animantia mille
Immittit syluis, aere librat aues.
Ista manus terram immenso suspendit inani,
Istaq suspensa est uulnere fixa truci.
Ista quoq omnipotens sceptrum gestare solebat,
Indigne ad pœnam portat & ista crucem.
Surgebat capiti regnorum mille corona,
Longe aliam uideo nunc redimere comas.
O Rex o genitor rerum, qui es maximus unus,
Terq, quaterq bonus, terq, quaterq potens
Quis te amor hoc monuit? que te huc clementia adegit?
Vix homines tanti, totaq terra fuit.
O patriam ingratam patri, dominoq, Deoq
Hæc reddi meritis gratia debuerat?
Non huc sæuitiæ ueniunt ursiue, lupiue,
Ad rabiem facilis tigridis ira tuam.

Subrectis catulis raptorem percita cursu
Adpetit hæc, alio tempore lenis abit.
Non perit in canibus munus, memoriq leonis,
Nec sæuit Marsis aspis alumna suis.
Seruandis animis uim ut remouere licebit,
Hoc ungues, dentes, uirus, & arma parant.
A Christo metuis, qui felix omnibus unum
Te populum e cunctis demeruisse cupit?
Quis te seruitio soluit? quis perdidit hostes?
Fraude bona captis quis spoliis cumulat?
Iussa fuit nubes ignes defendere cæli,
Veris erat species æstibus in mediis.
Arcebant tenebras flammarum lumina densas,
Solis erat facies noctibus in mediis.
Ille fugam præstat tutam, strauitq profundum,
Quum pedibus uestris subdidit unda caput.
Turgidus in fastum solitus feruescere pontus,
Aequore submisso paruit imperio.
Non timet Aegyptus secto se credere ponto,
Cæcos impellit per freta cæca furor.

Non iuuat audaces fortuna, reuersa repente
    Audax audaces obruit unda uiros.
Barbara gaza natat, carmen pia turba canebas,
    Hic probris laceras impia turba Deum.
Dum peragras Arabum uolitantes inter arenas,
    In pluuia fluxit mellıflua ambrosia.
Inq; siti fontes, quos inficiebat amaror,
    Gustatu uerso pocula grata bibis.
Imbellis gens debellasti fortia castra,
    Longe impar pugnæ regna superba capis.
Mænia conciderant sonitu concussa tubarum,
    Excidit, an potius dissimulare studes?
Hic tibi priuatim stillabant balsama rorem,
    Languida qui medica corpora curet ope.
Sed non morbosum pectus, pestemq; animorum
    Seu medicina leuet, seu medici ingenium.
Ab misera ad mentem sanam uesana redito,
    Immitis miti filia cara patri es.
O quæ barbarici prefers exempla furoris,
    Cur bene tam factis tam malefacta refers?

Iam tum, quum uulgat leges interprete Mose,
Conflato uitulo læta chorea salit.
Factus homo mutis, cæcis, artusq; solutis
Verba, oculos, gressum gratuito reuocat.
Exangues manes exciuit sæpe sepulchro,
Mox ipse exanguis clauditur in tumulo.
Indignum facinus, scelus exitiale, nouumq;
Nec patitur Phœbus, nec tulit ipsa soror.
Tum consternatis auertunt lumen, & ora
Terris, inq; astris exulat alma dies.
Terra tremit, scissi montes, mare littora plangit,
Succensent sceleri cuncta elementa tuo.
Vna tamen iudæa ferox, mirabile dictu,
Obduras pectus, ferrea corda geris.
Formidant, ululantq; feræ, tristesq; uolucres,
Montibus & syluis carmina mæsta sonant,
Nos etiam, pretio redimis quos Christe cruoris,
Hæc adseretori carmina mæsta damus.
Oramus ueniam, quando huc te cura uocauit
Humani casus, & malefacta patrum.

A VIRGINIS PARTV
anno millesimo quingentesimo
quadragesimo primo.
Ex officina Ioannis Sulbachii Germani.


PARDIN
ROMA